

DISPUTATIO II.

DE HUMANO INTELLECTU.

SECTIO I.

De obiecto humani intellectus in se et absolute spectati.

257. **Status questionis.** — Cum propria ratio cuiusque potentiae sumenda sit ex actu, huius vero ratio secundum ipsius commensurationem ad proprium cuiusque potentiae obiectum, hinc agentes de humano intellectu, quae sit formalis ratio obiecti, ad quod attingendum per se ordinatur, determinemus necesse est. Potest attem humanus intellectus dupliciter spectari. Primo modo *in se et absolute*, cum fit praecisio tum a statu naturalis coniunctionis cum corpore, tum a connaturali modo agendi ipsius, ut nimirum operatur per vires naturaliter ei debitas. Alio modo consideratur, si ab his duobus non fiat praecisio. Prior autem consideratio simplicior est ac generalior. Hinc ab ea exordium ducere oportet.

258. **Praesupponenda ad resolutionem questionis.** Sunt autem nonnulla in antecessum diligenter notanda.

I. Primo igitur in memoriam revoca quod non semel monimus, propriam scilicet rationem cognitionis, ut cognitio est, in eo cerni, quod cognoscens vitaliter assimilatur rei cognitae, et in eam quodammodo transformetur. Quare S. Thomas. *Cognoscencia a non cognoscen-*

tibus in hoc distinguantur, quia cognoscencia nihil habent, nisi formam suam tantum, sed cognoscens natum est habere formam etiam rei alterius: nam species cogniti est in cognoscente. (*Summa th.* 1. p. q. 14. a. 1.) Suarez etiam (*De Angelis*, lib. 2. c. 3. n. 7.) hanc assertionem vocat *dogma et principium in philosophia et theologia communi consensu receptum et ab ipsa experientia acceptum.* Et haec est ratio, quamobrem proprium et primum subiectum veritatis est cognitio. Per hoc enim quod cognoscens vitaliter assimilatur rei cognitae, ei cognitione sua adaequatur: in hac autem adaequatione consistit veritas, quae propterea primario tribuitur cognitioni, et secundario ipsi rei quae cognoscitur vel nata est cognosci [*Pr. Ph.* 206, seqq., 475, seqq.].

II. Praeter cognitionem sensitivam et organicam, existere in nobis aliud genus cognitionis longe nobilioris ordinis ac plane immaterialis, ex professo in superiori disputatione demonstratum dedimus [th. I]. Quare minime opus est hanc veritatem rursus contra materialistas ac sensistas vindicare. Facultas quae est proximum principium cognitionis eiusmodi, vocatur *intellectus*. *Sensus enim*, ait egregie S. Thomas, *per apprehensionem coniungitur rebus corporalibus quasi superficialiter tantum; sed intellectus pertingit usque ad intimum rei quidditatem.* (*A. Dist.* 49. q. 3. a. 5. solut. 1.)

III. *Obiectum intelligibile*, prout huiusmodi, dupliciter considerari potest. Primo modo ita ut spectetur haec ipsa comparatio obiecti ad intellectum, quae exprimitur per hanc vocem *intelligibile*. Id porro aliud non est nisi ipsa formalis ratio veri. Intellectus siquidem dicitur verus pro eo quantum intelligit rem prout est: res autem dicitur vera, pro eo quantum nata est intelligi conceptu veraciter eam repraesentante. Alio modo dicitur *intelligibile*, considerando in obiecto id ratione cuius habet ut sic ad intellectum comparetur, quod scilicet est fundamentum ex parte rei cur sit intelligibilis. Iam age, de obiecto intelligibili sic inspecto in praesenti est questio. Altera enim consideratio pertinet ad naturam intellectus penetrandam,

non praecise in quantum est intellectus, sed potius ut est facultas cognoscitiva, non appetitiva. Est autem discrimen valde notandum inter haec duo. Cum enim intellectus intelligit, non opus est ut signate cognoscat rem esse intelligibilem: bene tamen cognoscere debet id ratione cuius habet ut sit intelligibilis, puta rationem entis. Confer testimonium S. Thomae quod alibi retulimus [Pr. Ph. 486].

IV. Obiectum intelligibile dicitur *adaequatum* quod respondet intellectui absolute et in se spectato. Hoc vero dicimus esse ipsum *ens, in quantum ens. Intellectus*, ait S. Thomas, *respicit suum obiectum secundum communem rationem entis; eo quod intellectus possibilis est quo est omnia fieri. (Summa th. 1. q. 79. a. 7.)* Id autem minime est sic accipiendum, quasi intellectus nihil aliud in rebus attingat, nisi communissimam rationem entis a propriis differentiis singulorum entium praecisam. Hoc enim est manifeste absurdum, quippe de medio auferret cognitionem fere omnem quam de rebus habemus. Sensus est itaque, res ex eo formaliter habere ut terminare possint humani intellectus cognitionem, quod sunt entia, ac propterea tam late patet ratio intelligibilis quam late patet ipsa ratio entis, comparatione scilicet facta ad intellectum humanum in se et absolute consideratum, ut diximus.

THESIS VIII.

Obiectum adaequatum humani intellectus rectissime dicitur ens, in quantum ens.

259. *Demonstratio.* — Solet in huius thesis probationem adduci experientia: nemo quippe negare potest nos aliquem conceptum habere de re quacumque. Ceterum hunc probandi modum omitto, tum aliis de causis, tum ideo praesertim quod ita minime conficitur quod maxime in praesenti probare oportet, videlicet hos omnes

conceptus pertinere ad unam eandemque facultatem quam intellectum nominamus. Qui enim plures distinguunt facultates cognoscitivas alias ab intellectu in parte superiore, puta sensum moralem, rationem, conscientiam, praedictam experientiam facile concedunt, quin propterea thesei praesenti adstipulerent. Demonstramus proinde hoc modo.

Obiectum adaequatum humani intellectus dicimus illud, quod ex parte rei ab humana mente intellectae est in causa proxima et formali cur ab ea sit intelligibilis. Atqui id rectissime dicitur ens, in quantum ens. Ergo hoc est obiectum adaequatum humani intellectus. Maior huius argumenti est ipsamet definitio obiecti quod assignare volumus. Minor vero duo continet probanda. Nam primo quidem ostendendum est, rem quampiam, qua et quia ens, habere ut sit intelligibilis ab aliquo intellectu: secundo ostendere oportet, eiusmodi intellectum esse etiam humanum. Probat igitur quoad utrumque.

I. Quoad priorem partem res patet. Nam communi consensu omnium inter passiones seu proprietates transcendentes entis, prout ens est, veritas adnumeratur, quae propterea dicitur *ontologica*. Res autem dicitur vera pro eo quantum est intelligibilis. Ergo ens, prout huiusmodi, est obiectum intelligibile, nimirum ab aliquo intellectu.

II. Quod autem a tali censu minime removeri debeat humanus intellectus, sic demonstratur. Si res aliqua existeret ab humano intellectu absolute non attingibilis, hoc propterea foret, quia in ea attingenda intellectus noster ferretur extra limites rationum intelligibilium ab eius virtute attingibilium. Huius rei gratia, visus corporalis absolute non potest videre rem incorpoream: cum enim eius actus sit organicus, per se respicit rem materialem. Atqui id locum minime habet respectu humani intellectus. Proh. hoc. Constat enim intellectum nostrum attingere et penetrare ipsam generalissimam rationem entis. Haec autem communissima ratio formaliter inclusa est in omnibus differentiis quibus ad inferiora contrahitur: unde haec contractio minime fit per modum compositionis, sed solum

prout conceptus confusus refertur ad conceptum expressiorem unius eiusdemque obiectivae rationis, ut in Philosophia Prima demonstravimus [th. I.]. Ergo humanus intellectus, quaecumque rem ponatur obtutu suo attingere et speculari, non aliud efficit nisi expressiori conceptu attingere illud ipsum quod in communissima ratione entis confuse attingebat. Est autem plane manifestum, per hoc intellectum minime ferri extra limites rationum intelligibilium eius virtute attingibilem. Ergo res quaelibet, qua et quia ens, est obiectum ab humano intellectu intelligibile.

Dices, Si res ita habet, eo ipso probatum maneret, ipsum Deum ab humano intellectu intuitive videri posse. Atqui hoc ratione naturali probari non potest, cum ad mysteria proprie dicta pertineat.

Respondeo, *Nego maiorem*. Cognitio Dei intuitiva et abstractiva, essentialiter quidem differunt, non tamen per se in ipso obiecto, sed in diverso essentiali modo attingendi. Ut enim paulo ante diximus [255, II], nihil prohibet, quominus unius eiusdemque potentiae actus specificè differant ex diverso essentiali modo attingendi idem obiectum. Quocirca argumento quod attulimus, optime probatur, intellectum nostrum ex eo quod intuitive videat ipsum Deum, minime extrahi extra ambitum sui obiecti adequati ac propterea nullam *ex hac parte* contradictionem haberi in tali visione, sicut haberetur ex. gr. in eo quod visui corporali res eiusmodi tribueretur (1). Sed inde minime de-

(1) * Dicendum quod sensus visus, quia omnino materialis est, nullo modo elevari potest ad aliquid immateriale. Sed intellectus noster vel angelicus, quia secundum naturam a materia altitudinaliter elevatus est, potest ultra suam naturam per gratiam ad aliquid altius elevari. Et huius signum est, quia visus nullo modo potest in abstractione cognoscere id quod in concrectione cognoscit: nullo enim modo potest percipere naturam, nisi ut hanc. Sed intellectus noster potest in abstractione considerare quod in concrectione cognoscit: etsi enim cognoscat res habentes formam in materia, tamen resolvit compositum in utrumque et considerat ipsam formam per se. Et similiter intellectus Angeli, licet connaturale sit et cognoscere esse concrectum

monstratum habetur, talem visionem esse possibilem. Notitia enim pariter pariter ex cognito, partim ex virtute cognoscentis. Atqui ad visionem Dei intuitivam impares sunt naturales vires humani, immo et cuiuscumque creati intellectus, ut infra ostendemus. Ergo, ad demonstrandam possibilitatem talis visionis, probandum adhuc foret, dari posse virtutem altioiorem, qua corroboretur nativa virtus creati intellectus ad obtutum suum fingendum in ipso lumine increato divinae Maiestatis. Porro hoc est aliquid creditum, non scitum, ut recte monuit Suarez (*Metaph.* D. 30, sect. 11, n. 50).

260. *Coroll. I.* — **Memoria intellectiva non est alia facultas ab intellectu.** — Nam in memoria intellectiva duo possunt considerari, videlicet ipsa conservatio specierum intelligibilium adquisitionum, et intelligentia praeteritorum. Atqui neutrum cogit ad ponendam in parte superiori animae facultatem cognoscitivam aliam ab intellectu. Non primum: intellectus enim, utpote immaterialis et incorruptibilis, longe potius esse debet ad specierum intentionalium conservationem, cum id inveniat etiam in parte sensitiva, quae organica est et corruptibilis. Non aliud; praedictum quippe obiectum comprehenditur sub generali ratione intelligibilis quam per se respicit noster intellectus. Ad rem sanctus Thomas. * Si aliqua potentia secundum propriam rationem ordinatur ad aliquod obiectum secundum communem rationem obiecti, non diversificabitur illa potentia secundum diversitates particularium differentiarum: sicut potentia visiva quae respicit suum obiectum secundum rationem colorati, non diversificatur

in aliqua natura, tamen potest ipsum esse discernere per intellectum, dum cognoscit quod aliud est ipse, et aliud est eius esse. Et ideo, quum intellectus creatus per suam naturam natus sit apprehendere formam concrectam et esse concrectum in abstractione per modum resolutionis cuiusdam, potest per gratiam elevari ut cognoscat substantiam separatam subsistentem, et esse separatam subsistens. S. THOMAS (*Summa th.*, 1. p. q. 12, a. 4, ad 3).

secundum rationem albi et nigri. Intellectus autem respicit suum obiectum secundum communem rationem entis. (Summa th. 1. p. q. 79. a. 7.)

261. *Coroll. II.* — **Ratio et intellectus sunt una eademque facultas in homine.** — Conveniunt quippe in communi ratione quam per se respicit intellectus, quae scilicet est ipsa ratio entis. Differunt tamen ob diversam functionem quae utroque nomine exprimitur: quod sic eleganter declarat Angelicus. * Intelligere enim, ait, est simpliciter veritatem intelligibilem apprehendere; ratiocinari autem est procedere de uno intellecto ad aliud ad veritatem intelligibilem cognoscendam. Et ideo Angeli, qui perfecte possident, secundum modum suae naturae, cognitionem intelligibilis veritatis, non habent necesse procedere de uno ad aliud, sed simpliciter et absque discursu veritatem rerum apprehendunt, ut Dionysius dicit 7. cap. de Div. Nom. Homines autem ad intelligibilem veritatem cognoscendam perveniunt procedendo de uno ad aliud, ut ibidem dicitur; et ideo rationales dicuntur. *Patet ergo, quod ratiocinari comparatur ad intelligere sicut moveri ad quiescere, vel adquirere ad habere; quorum unum est perfecti, aliud imperfecti...* Manifestum est autem, quod quiescere et moveri non reducuntur ad diversas potentias, sed ad unam et eandem etiam in rebus naturalibus, (loc. cit. a. 8.)

262. *Coroll. III.* — **Intellectus speculativus et practicus non sunt diversae potentiae.** — Facile hoc etiam patet, si quid speculativa, quid practica sit cognitio, prae oculis habeatur. Ad hoc autem intelligendum observa, cognitionem veri dupliciter esse expetibilem: uno modo secundum se, ut nempe est propria et connaturalis perfectio facultatis cognoscitivae, atque adeo intellectivae; alio modo, in ordine ad aliud, si nempe sit directiva et inclinativa ad opus quod idealiter in mente praeformat. Primum videre licet in contemplatione perfectionum divinarum, et persecutione essentialium ceterorum entium; alterum vero in cognitione propria iudiciorum prudentiae et artis cuiuscumque. Patet itaque, cognitionem spectativam eum practica convenire in eo quod utraque sit per-

ceptio cuiusdam veri: differre autem in fine, propterea quia prima sistit in hoc ipso vero, sicut in propria perfectione facultatis cognoscitivae, altera autem ulterius ordinatur ad perficiendum opus quod in mente praeformat ac praeparat. Porro istiusmodi discrimen non facit differentiam in facultate cognoscitiva. * Id quod accidentaliter, ait S. Thomas, se habet ad obiecti rationem quam respiciit aliqua potentia non diversificat potentiam. Accidit enim colorato, quod sit homo, aut magnum, aut parvum: unde omnia huiusmodi eadem visiva potentia apprehenduntur. Accidit autem alicui apprehenso per intellectum, quod ordinetur ad opus vel non ordinetur. Secundum hoc autem differunt intellectus speculativus et practicus. (loc. cit. a. 11.) Confer quae in Logica diximus [326, 402].

263. *Coroll. IV.* — **Intellectui, prout huiusmodi, ut obiectum adaequatum respondet ens, in quantum ens.** — Postremo colligitur, absolute esse impossibilem intellectum, cuius obiectum adaequatum non sit ens in tota sua latitudine sumptum, ac propterea tale obiectum convenire intellectui per se primo. Ad rationem quippe intellectus, ut intellectus est, pertinet in intimam rei, quam intelligit, quidditatem penetrare, et inde praecise ipsum nomen intellectus deprimuntur est. Ratio vero entis est primum ac essentialis praedicatum quidditatis cuiuscumque: quare S. Thomas; *entis intellectus includitur in omnibus quaecumque quis apprehendit.* (Summa th. 1. 2^{ae} q. 94. a. 2.) Ergo ad intellectum, prout talis est, pertinet introspicere ipsam rationem entis. Atqui propterea demonstravimus intellectus humani obiectum adaequatum esse ens in tota sua latitudine sumptum. Ergo id ipsum de quocumque intellectu possibile affirmare oportet. Accedit altera ratio optima quam ita urget cl. I. B. de Benedictis contra Arriaga, qui pro more suo hanc etiam evidentissimam veritatem in dubium revocavit. * Est, ait, de ratione intellectus, ut supra sensus imperfectionem evadentis, posse de obiecto suo iudicium ferre. Atqui nullum est possibile iudicium, entis ratione ignorata. Neque enim potest hoc de illo affirmari dicendo, *Hoc est illud*, nisi a sciente, quid

sit identitas, ut dictum in superioribus est; identitas autem est eadem entitas: ergo quicumque indicat, ignorare ens entitatemque non potest. » (*Philos. Peripat.* to. 4. lib. 2. q. 3. c. 4.)

Dicitur fortasse. Dum assumitur, intellectum quemlibet ferri in rationem entis, *quod ens* vel supponit absolute, vel personaliter. Si primum, nihil conficitur: ratio quippe absoluta entis est maxime confusa et praecisa a rationibus propriis diversorum entium; quare ex eo quod intellectus possit talem rationem percipere, solum concludere licet, omnia posse ab intellectu quolibet cognosci sub ratione confusa entis, quod certe ne in quaestionem quidem vocari meretur. Si vero ens personaliter sumitur, distributive scilicet pro re qualibet, est manifesta petitio principii.

Respondeo. Iam in ipsa probatione thesis praecoccupata fuit haec instantia, cum scilicet ex proprio modo, quo ratio entis generalissima praeciditur a differentiis contrahentibus, deduximus, non posse aliquam facultatem intelligere quid sit ens absolute, quin eo ipso capax sit attingendi propriam rationem cuiuslibet. Quare acute et optime recitatae obiectioni hanc responsum subiicit praelaudatus auctor. * Respondeo, accipi ens abstractum et in simplici (h. e. absoluta) suppositione. *Ex quo conficitur, non solum posse cognosci omnia confuse in ente, sed etiam distincte in se; adeoque posse cognosci ens in suppositione personali distributiva.* Nam tale ens cum sit ens in sua ipsa taleitate, habet in ea rationem formalem ad quam est potentia: adeoque inter eam taleitatem et potentiam non potest esse improprio in ratione cognoscibilis et cognoscitivi. Quod si in taleitate sit excessus, solum fit, ut potentia debeat ulterius roborari per speciem meliorem, non vero quod simpliciter ad illam attingendam assurgere non possit. » (*loc. cit.*)

Instabis. Etiam facultas sensitiva percipit tandem aliquod ens et verum. Atqui non propterea conceditur eius obiectum adaequatum esse ens et verum in tota sua latitudine sumptum.

Respondeo. *Dist. mai.* Etiam facultas sensitiva percipit

aliquid ens et verum modo omnino concreto, quin penetret ipsam rationem absolutam entis et veri, *conc.*; hanc rationem penetrando, *neg.* Argumentum quo usi sumus, minime profecto ita a nobis fuit propositum, quemadmodum in obiectione supponitur; quod certe ineptum plane foret. Arguimus nempe praecise ex eo quod de ratione intellectus, qua talis, est penetrare ipsam rationem entis, intelligere scilicet *quid sit esse ens, prout huiusmodi.* Porro etsi facultas sensitiva repraesentat rem quae esse ac veritatem habet, minime tamen ipsam rei quidditatem, nec obiectivam rationem sive essendi, sive veri, sive quamcumque aliam introspicere dicenda est, et hoc est generale discrimen quod separat intellectum a sensu. Apposite et egregie S. Thomas. * Dicendum, quod quamvis esse sit in rebus sensibilibus, tamen rationem essendi, vel intentionem entis sensus non apprehendit, sicut nec aliquam formam substantialem nisi per accidens, sed tantum accidentia sensibilia. Ita etiam quamvis veritas sit in rebus sensibilibus, prout dicitur esse veritas in rebus, tamen intentio veritatis solo intellectu percipitur. » (1. *Dist.* 19. q. 5. a. 1. ad 6.) Ceterum hoc plenius mox declarabimus.

SECTIO II.

De obiecto proprio humani intellectus in statu coniunctionis.

264. *Quid proprium alicuius cognoscitivae facultatis obiectum nominetur.* — Quaestio quam tractandam aggredimur, merito existimatur una e gravioribus quae in Philosophia agitantur. Adeo enim connexa est cum praecipuis veritatibus naturali lumine notis, sive de naturae nostrae, sive de genesi, veritate, et ordine cognitionum nostrarum, ut haec recte vel perperam praedicatae iure habeantur, prout illa recte vel perperam resoluta fuerit

quod ex his quae dicturi sumus, facile apparebit. Ut autem ab ipsa terminorum interpretatione exordiamur, ante omnia observa, obiectum *proprium* cuiusque facultatis cognoscitivae illud vocari, prout Angelicus definit (*Summa th. 1. p. q. 85. a. 8.*), *quod est primo et per se cognitum a virtute cognoscitiva*. Duo igitur sunt de ratione talis obiecti. Debet esse imprimis eiusmodi, ut eius cognitio minime praesumat cognitionem alterius obiecti in ea facultate de qua agitur. Quare tale sit oportet, ut immediate in eo attingendo versetur facultas cognoscitiva, non mediante scilicet alia re in ratione obiecti cogniti, puta per modum causae, effectus vel similitudinis. Requiritur praeterea, ut *ratione sui* a facultate cognoscitiva attingatur, non vero *per accidens*, ob conjunctionem scilicet quam habet cum altero. Hoc modo, respectu facultatis sensitivae, substantia aliaque sensibilia quae dicuntur per accidens, idcirco sic vocantur, quia etsi primo et immediate sentiantur, non tamen id habent ratione sui, sed ratione sensilium qualitatum quae sunt per se obiectum sensus [*Pr. Ph. 266*]. Brevi, cum cognitum se habeat ad potentiam cognoscentem, sicut forma ad materiam, facultas quaeque cognoscitiva comparatur ad suum obiectum proprium, *sicut materia ad formam sibi immediatam*. Spectando igitur humanum intellectum, non absolute et secundum se, sed secundum virtutem cognoscitivam ei connaturalem in statu praesenti conjunctionis cum corpore, quaerimus quid sit illud in quo duplex descripta conditio reperitur, adeoque eius proprium intelligibile obiectum in eo statu constituat.

265. Eequid unus intellectus rerum sensilium quidditatem percipiat. — Est praeterea diligenter observandum, cum dicitur res sensibilis seu corporalis obiectum intellectus, minime hac loquendi formula intellectui et sensui idem adiudicari formale obiectum. Duo scilicet probe distinguere oportet respectu intellectus corpori coniuncti. Primo quidem rem ipsam materialiter inspectam, et haec bene dicitur esse res corporalis seu sensibilis. Secundo vero ipsam rationem formalem obiecti intelligibilis secundum quam refertur ad intellectum corpori coniu-

ctum, et haec est *quidditas* ipsa praedictae rei corporalis seu sensibilis, quaeque nihil est aliud nisi ipsa ratio per definitionem explicata. Hinc patet duplex essentialis discrimen paulo ante indicatum quo intellectualis apprehensio a sensili separatur, tametsi circa rem corporalem utraque versetur. Nam imprimis quidditas simpliciter talis, *substantialis* scilicet, rei corporeae *per se* pertinet ad proprium intellectus obiectum: ad sensum vero nonnisi *per accidens*, ut dictum est. Deinde in ipsis proprietatibus per se sensilibus intellectus penetrat *ad rem ipsam* earumdem, puta quae sit ipsa absoluta ratio magnitudinis, seu coloris: sensus contra apprehendit dumtaxat rem magnam, seu coloratam in sua concretionem. Est autem immane discrimen inter utrumque percipiendi modum. Sensus enim eo quod ita rem attingit, minime distinguit inter id quod per se pertinet ad rationem magnitudinis seu coloris, et ea quae omnino per accidens ad talem rationem pertinent. Sic ex. gr. percipit rem magnam vel coloratam sub determinatis adiunctis temporis, loci, figurae, aliorumque quae omnino per accidens se habent ad magnitudinem seu colorem, prout huiusmodi, quaeque propterea sunt omnino extranea definitioni quae de rebus eiusmodi postularetur. Contra intellectus. Quare S. Thomas: *Sensibilium qualitatum naturas cognoscere, non est sensus sed intellectus* (*Summa th. 1. p. q. 78. a. 3.*) Et alibi. *Sic differt apprehensio sensus et intellectus: nam sensus est apprehendere hoc coloratum, intellectus autem ipsam naturam coloris.* (*Qq. Disp. Verit. q. 25. a. 1.*) Confer quae idem S. Doctor acutissime tradit ex Aristotele (3. *De Anima*, lect. 8. coll. 7. *Metaph.* lect. 5). Ceterum quando dicitur intellectus ferri in ipsam quidditatem concretam rei sensibilis seu corporalis, id minime sane est sic accipiendum, quasi mens nostra statim et perfecte illam percipiat. Id quippe adversaretur proprio et connaturali modo operandi intellectus humani, ut qui gradatim et successive perfectionem suam nanciscitur. Primo igitur cognoscitur haec quidditas secundum communissimas rationes, puta *entis, unius, substantiae, qualitatis*, aliasque consimiles: tum vero

magis dearticulate iuxta proprium modum, quo hae communissimae rationes in singulis naturis contrahuntur, prout suo loco agentes de explicatione conceptuum intellectuum paulo distinctius exponemus.

THESIS IX.

Ex natura sive cognitionis sive animae ducto argumento, et constanti plane inductione comprobatur est, humanae mentis obiectum proprium pro praesenti vitae statu situm esse in rationibus, intelligibilibus quidem seu quidditativis, quae tamen in materia corporali seu sensili relucent.

266. *Demonstratio.* — Ut patet ex ipsa enuntiatione, tria argumenta producimus. Priora duo sunt a priori, alterum ductum ex ipsa natura cognitionis, alterum vero ex natura animae cognoscentis. Tertium vero a posteriori seu experientia comprobatur quae rationali discursu in aliis duobus fuerit deducta.

Argumentum I. — Haec ratio exposita habetur apud S. Thomam (*Summa th. 1. p. q. 12. a. 4.*), eandemque paucis contractam idem S. Doctor his verbis alibi repetit. *Potentia cognoscitiva proportionatur cognoscibili. Unde intellectus Angelī, qui est totaliter a corpore separatus, obiectum proprium est substantia intelligibilis a corpore separata, et per huiusmodi intelligibile materialia cognoscit. Intellectus autem humani, qui est corpori coniunctus, proprium obiectum est quidditas sive natura in materia corporali existens; et per huiusmodi naturas visibilibus rebus etiam in invisibilibus rerum aliqualem cognitionem ascendit.* (*Summa th. 1. p. q. 84. a. 7.*) Quo vis huius argumenti penetraretur, haec animadvertet.

I. Quoniam cognitio existit secundum quamdam assimilationem vitalem cognoscentis ad cognitum, per quam

obiectum quodammodo trahitur intra ipsum cognoscentem in eoque esse incipit, hinc modus essendi rei secundum quod est cognita est secundum modum cognoscentis. *Cognitio, ait S. Thomas, contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae. (*Summa th. 1. p. q. 12. a. 4.*) Hinc manifeste efficitur, modum quo naturaliter obiectum esse acquirit in cognoscente, adaptari modo connaturali essendi ipsius cognoscentis.

II. Quod est primo et per se cognoscibile, nimirum obiectum proprium cuiusque facultatis cognoscitivae, non utcumque a tali facultate attingitur, sed ita ut cognoscatur immediate et prout in se est. Secus non esset obiectum primo et per se proportionatum, quod est contra rationem obiecti proprii. In cognitione proinde obiecti proprii modus essendi ipsius in sua natura est proportionaliter sicut modus essendi intentionalis quem acquirit in cognoscente. Quoniam vero aliunde, ut paulo ante diximus, modus essendi rei in cognoscente est secundum modum naturae cognoscentis, aperte inde consequitur, tum naturam cognoscentis, tum naturam obiecti proprii suae cognitionis in eodem essendi modo convenire. Nam utriusque, ut dictum est, proportionari debet modus essendi intentionalis quem res acquirit in cognitione talis obiecti. Et hic est sensus illius principii quod a S. Thoma in recitato argumento adhibetur, h. e. *potentia cognoscitiva proportionatur cognoscibili*, et sic manifesta est eius argumentatio, quae propterea dialectice sic etiam proponi potest.

Tum obiectum proprium cognoscitivae facultatis, tum natura subiecti cognoscentis convenienter oportet in eodem essendi modo. Atqui modus essendi naturae humanae est sicut modus essendi rerum corporearum et sensibilibus. Ergo talis etiam sit oportet modus essendi obiecti proprii humanae cognitionis, quod profecto non habetur nisi in re corporali et sensili.

267. *Argumentum II.* — Ducitur haec ratio ex naturali unione animae intellectivae cum humano corpore.

Si enim eiusmodi unio asserenda est; anima quippe rationalis per se est forma corporis: ergo vel propter bonum corporis, vel propter bonum ipsius animae rationalis. Primum dici non potest: naturalis enim rerum ordo fert, ut inferiora sint propter superiora et materia propter formam. Haec unio itaque est propter bonum ipsius animae rationalis. Id autem non potest sic intelligi, quatenus fiat propter esse ipsius animae rationalis; quandoquidem ea secundum esse a corpore non dependet. Nequit etiam id fieri primo et directe ob operationem partis inferioris, vegetativae nimirum vel sensitivae; nam hae operationes, utpote inferioris ordinis, cedere debent in bonum et profectum operationum partis superioris seu intellectivae. Concedendum est ergo, hanc unionem, spectata naturae intentione, ordinari in bonum operationis propriae animae rationalis, quae est intelligere, ad quam sequitur velle. Id porro contingere non potest ex eo quod ipsa operatio intelligendi exerceatur medio organo corporali; est quippe spiritualis. Ergo fit propterea quia ad operationem intelligendi, quae est propria animae rationalis, praecire debet operatio, organica quidem, sed alterius facultatis, puta sensitivae. Iam age, haec necessitas triplici ratione intelligi et explicari potest. Primo, propterea quod anima sensibus egeret, quo excitaretur ad reminiscendum quae didicit antequam corpori uniretur, quaeque per ipsam unionem sopita quodammodo remanserunt; sic enim Plato rem hanc exposuit. Atqui hoc manifeste supponeret, unionem animae rationalis cum corpore poenalem esse, non naturalem. Secundo itaque dici potest, sensus ideo in hunc finem esse necessarios, quia per eos anima excitatur, ut se convertat ad intelligibilia simpliciter, h. e. ad objecta pure spiritualia, puta Deum, ut in se est, quemadmodum dicunt fautores *intuitus immediati*, Ontologi scilicet. Atqui etiam hoc est insufficientes. Inde enim id foret consequens, quandoque saltem animam posse se convertere ad istiusmodi intelligibilia ex inclinatione suae naturae, quin a sensibus excitaretur, vel saltem nulla esset ratio cur anima excitata per alium sensum, puta auditum, minime intel-

ligat ea, quorum sensum non habet, ut caecus natus respectu colorum: quae omnia sunt manifeste falsa. Relinquitur igitur unicus modus probatu dignus ante iam assertus [th. III.], quo haec unio explicetur, quia scilicet animae rationalis, ob debilitatem luminis intellectualis quod est in ea, proportionatum obiectum est quidditas reclusus in obiectis materialibus per sensum propositis. Ita fere Angelicus Doctor (*Summa th. 1. p. q. 84. a. 4.*); ac certe difficile est imaginari aliquid quod enumeratis omnibus modis rem hanc explicandi adfici queat.

268. *Argumentum III.* — Confirmantur denique haec omnia luculentissimo experientiae testimonio. Nam incorporalia nunquam experti sumus primo et per se intellectui nostro observari; sed solum per comparisonem quandam et analogiam ad res sensibiles fiunt nobis intelligibilia. Id manifeste liquet, si quis consideret ipsam notionem *simplicitatis* et *spiritualitatis* quam habemus: formatur siquidem per negationem *compositionis* et *materialitatis* additam communissimae notioni *entis* et *substantiae*. Hoc experimentum quod Suarez (*Metaph. D. 30. sect. 11. n. 15.*) merito vocavit *evidentissimum*, optime comprobatur ulterius his quae sequuntur. Etenim

I. Vocabula quibus obiecta spiritualia significamus, manifestam originem prae se ferunt a rebus sensibilibus, ut patet universali inductione in quolibet idiomate. Atqui verbum orale est propria expressio et quasi incarnatione conceptionis mentalis.

II. Si obiectum proprium nostri intellectus non esset quidditas concreta rei sensibili, nulla profecto existeret impossibilitas in acquirenda propria notione qualitatis quae sensum minime afficit. Atqui, ut observat S. Thomas post Aristotelem: "Deficiente aliquo sensu, deficit scientia eorum quae apprehenduntur secundum illum sensum; sicut caecus natus nullam potest habere scientiam de coloribus." (*loc. cit. a. 3.*)

III. Impedito actu virtutis imaginativae et memorativae in parte sensitiva, ut in phreneticis et lethargicis, intellectus quoque prohibetur, quinoniam non solum ad-

quirat scientiam de novo, sed etiam utatur scientia quam iam adquisivit. Atqui id minime fit ob impedimentum in organo, quo utatur ipse intellectus, cum sit facultas inorganica. Ergo id contingere dicendum est ratione obiecti quod ei praesentari debet per facultatem sensilem, quae utpote ligata aut indisposita vel illud minime proponit, vel nonnisi inordinate.

IV. Postremo * hoc quilibet, ait Angelicus, in seipso experiri potest, quod quando aliquis conatur intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspicat quod intelligere studet; et inde est etiam quod, quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla, ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intelligendum. (loc. cit. a. 7.)

269. *Coroll. I.* — **Deus non est proprium obiectum intellectus humani corpori coniuncti.** — Nihil quippe est remotius a proprio modo essendi quidditatis materialis quam Deus, ut qui est actus ab omni potentialitate alienissimus. Confirmatur hoc a Doctore Angelico (Super Boëth. *De Trinitate*, q. 1. a. 3.) duplici eaque optima ratione. Etenim de ratione obiecti proprii, ut diximus, est ut immediate et secundum suum proprium modum essendi obversetur facultati cognoscitivae. Atqui attributa omnia divina, si spectentur prout sunt in ipso Deo, nullam omnino distinctionem habent vel compositionem. Si ergo Deus esset proprium obiectum nostri intellectus, nulla etiam distinctio et compositio existeret in conceptione nostra de divinis, sed ea una esset et simplicissima. Atqui, ut docuimus in Logica, nulla inesse potest falsitas in talibus conceptionibus ac iudiciis eis innixis [251, 280]. Ergo si obiectum proprium nostri intellectus est Deus, nullus erraret in iis quae ad Deum pertinent, quod patet esse falsum. * Cum in divina essentia, ait Aquinas, omnia quae dicuntur de ipsa sint unum, nullus erraret circa ea quae de Deo dicuntur, quod experimento patet esse falsum. (loc. cit.) Altera ratio haec est. Prima principia in cognoscendo oportet esse infallibilia et indubitabilia; secus enim nulla existeret certitudo in consequentibus, atque ita in

generalem scepticismum incidendum foret [*Pr. Ph.* 228]. Talia autem principia in mente enascuntur ex simplici inspectione eorum quae primo et per se intellectui obversantur. Si itaque Deus tali modo obversaretur menti nostrae, cognitio de Deo quam habemus, esset infallibilis omnino et dubitationis cuiuslibet nescia; quod iterum patet esse falsum. Quare S. Thomas post recitata verba sic pergit. * Et iterum ea quae sunt prima in cognitione intellectus, oportet esse certissima; unde intellectus certus est, se ea intelligere; quod patet in proposito non esse. * Confer de hac re egregium plane opus M. Liberatore (*Della Coscienza intellettuale*, lib. 1. c. 2.).

270. *Coroll. II.* — **Existentia veritatum supernaturalium.** — Ex dictis a priori constat veritas maximi momenti, dari scilicet ordinem veritatum quae naturalem capacitatem humanae rationis simpliciter et per se excedunt, quae propterea ex lumine naturalium principiorum intelligi aut demonstrari minime possunt. Idque verum est non solum respectu naturalis cognitionis animae corpori coniunctae, sed etiam absolute respectu cuiusque intellectus creati viribus connaturalibus operantis. Deus enim in se inspectus non potest esse proprium et connaturale obiectum nisi intellectus qui eundem essendi modum habeat ac ipse Deus. Atqui talis intellectus non est nisi divinus; nam modus essendi divinae substantiae non generice quidem convenit cum modo essendi connaturali cuiuslibet substantiae creatae vel creabilis. Ergo Deus, prout in se est, solius divini intellectus est obiectum proprium et connaturale. Inde vero manifeste consequitur, cognitionem omnem naturalem quae de Deo haberi potest a qualibet creatura, analogicam esse oportere, per conceptus scilicet haustos et emendicatos a rebus creatis. Tantum proinde haec cognitio protenditur, quantum per huiusmodi conceptus manuduci potest. Atqui rursus existunt veritates supra captum horum conceptuum. Nam omnes creaturae sunt effectus virtutem Causae primae non adaequantes: constat autem per conceptus haustos ab effectibus istiusmodi minime cognosci posse quiddid in vir-

tute causae continetur. Hac ratione probant theologi cum S. Thoma (*Summa th.* 1. p. q. 32. a. 1.), non posse naturali ratione cognosci ea quae spectant ad distinctionem divinarum Personarum, quia nimirum virtus creatrix quae ex creaturis cognosci potest, pertinet ad unitatem divinae essentiae, non vero ad distinctionem Personarum. Ex quo aliud gravissimum praeiudicium habetur contra opinionem eorum, qui, secus ac in praecedenti corollario determinavimus, in ipso Deo constituunt obiectum proprium et connaturale nostri intellectus: nempe hac philosophandi ratione sibi plane intercludunt viam, ut adversus rationalistas ostendant, definitum esse ordinem veritatum, extra quem intellectus noster suis naturalibus viribus relictus spatium nullo modo potest. Sed de hac opinione plura in sectione sequenti.

SECTIO III.

Exceptiones Ontologorum contra doctrinam praecedentem.

271. **Qui et quamobrem Ontologi vocentur.** — Qui praecedenti doctrinae potissimum adversantur, hac maxime aetate, Ontologorum nomen sibi proprium fecerunt. Ut vero huius nominis ratio, immo totius etiam systematis processus eo nomine significatus probe teneatur, notandum est, eos in id praesertim incumbere, ut cognitionem omnem quae per *intentionalem obiecti similitudinem* anteaets retro saeculis explicari consuevit, vel ut fallacem quandam mentis illusionem, vel ut per se plane ineptam ad veri nominis certitudinem in mente gignendam, traducant. Putant nempe sic instaurari famosam quaestionem *de ponte*, ut aiunt, quo ex subiectiva affectione ad obiectum fiat transitus, quin huius quaestionis idonea solutio possit unquam obtineri. Hinc ipsum *Ontologismi* nomen. Exclusis enim eiusmodi

intentionalibus similitudinibus, non aliud superest nisi ut dicatur cognitio fieri per *concretam apprehensionem* ipsiusmet obiecti intelligibilis in sua propria et reali *entitate*, seu per intimam et immediatam coniunctionem et quasi identitatem mentis cum eo. Hinc tria quasi generalia pronuntiata huius systematis, quorum unum ex alio necitur.

I. Obiectum proprium nostri intellectus ipse Deus sit oportet. Nam ex una parte immateriale debet esse; secus enim non posset secundum se coniungi cum mente spirituali; aliunde in eo contineri debet ratio primaria necessitatis, immutabilitatis, et universalitatis quae inest cognitionibus intellectualibus, quodque a nulla creatura repeti potest, cum haec sit contingens, mutabilis, et particularis (1).

II. Ratio illa obiectiva quam mens percipit et apprehendit, cum veritates intelligibiles creaturarum intelligit, non est aliquid creatum vel finitum, sed ipsa divina realitas, secundum quod est idea archetypa creaturarum. In ea quippe solummodo invenire licet tum immaterialitatem, tum necessitatem obiecti vere et proprie intelligibilis.

III. Quoniam divina realitas secundum se est lux in-

(1) Quoniam hoc assertum perpetuo conscientiae cuiusque testimonio adversari videtur, et aliunde non apparet quomodo talis intuitus differat a supernaturali visione beatifica, hinc fautores huius systematis multa excogitarunt, ut huic dupliet gravissimae et obviae interrogationi aliquid haberent quod reponeret. Dixerunt itaque, hanc perceptionem, tametsi perennem, ideo effugere conscientiae cuiusque testimonium, tum quia ad ordinem directum nostrarum cognitionum pertinet, tum quia confusa est, tum quia propter multitudinem sensuum phantasmatum mens quasi obruitur ne illam a ceteris actibus interioribus discernat. Addunt autem eam esse differre a visione supernaturali beatifica, tum quia haec clara est, illa e converso confusa, ut diximus; tum quia per eam Deus in se quidem et concrete apprehenditur, sed quantum ad eius attributa quodammodo *exteriora*, scilicet prout est Ens simpliciter, vel Creator, vel Ratio exemplaris creaturarum, vel alio modo consimili, non vero quantum ad ipsa quasi *profunda* divinitatis et divinarum Personarum subsistentiam. Hinc non defuere qui talem perceptionem noluerunt appellare *intuitivam*, sed potius *extuitivam*.

telligibilis, et praeterea incongruum valde sit, ut per lucem aliquam creatam intellectui nostro praesentetur, hinc ulterius addunt, ipsum Deum non solum esse obiectum proprium nostri intellectus, sed etiam lucem qua intellectus noster perfunditur ut in tale obiectum aciem figere possit.

Atque hic est, summam relatus, intuitus hac aetate famosus quem huius systematis fautores substituere conati sunt veteri doctrinae de naturali cognitione Dei et invisibilium per creaturas et visibilia, quam doctrinam *Psychologismum* ipsi appellant, et vix ac ne vix quidem a *sensismo* differre aiunt. Concedunt tamen, praeter istam perceptionem primariam fundamentalem, perennem, ac stricte intellectua-lem, dari etiam per reflexionem mentis et ope perceptionum sensillium, sermonis potissimum, dari, inquam, alias ideas intellectuales per similitudines ab ipsa mente formatas, quibus dearticulato quodam modo relegimus quod in primaria illa intuitione nobis contemplandum offertur. Addunt tamen has secundarias apprehensiones eatenus certitudini de ipsis obiectis gignendae deservire, quatenus mens advertit eas conformes esse cum typica illa Idea quae primitus ac perenni directo obtutui mentis nostrae observatur.

272. **Primum caput argumentorum quibus exposita doctrina fulcitur.** — Quae attulimus in sectione praecedenti plane sufficiunt, ut quantum a veritate deeret hoc systema patefiat. Quare hic solum ostendenda est fallacia argumentorum quibus illud fulcire satagunt. Haec porro duplicis sunt generis. Alia quibus directe conantur ostendere, Deum ipsum in se et secundum se a mente nostra apprehendi; alia vero, quibus incommoda exaggerant quae admittere oporteret, si cognitio Dei per creaturas, sensiles praesertim, haberi dicatur. Cetera autem quae in exposita doctrina indicata fuere, vel theologici muneris sunt, vel commodius in sequentibus sectionibus examinantur. Exordimur a primo capite obiectionum.

Obiectio I. — Obiectum proprium humanae mentis eam perficit. Atqui solus Deus eam perficere potest; siquidem capacitas humanae mentis, utpote infinita, a sola re infinita potest expleri.

Respondeo. *Dist. mai.* Obiectum proprium humanae mentis eam perficit secundum quid et inchoative, *conc.*; simpliciter et finaliter, *neg.* *Contradist. min. ejusque probationem.*

Obiectum proprium, ut ex ipsa eius definitione patet, constituit initium humanae cognitionis, non vero terminum. Quare hoc modo perfectio humanae mentis inde repeti debet. Atqui mens humana non est simpliciter seu totaliter perfecta, nisi in ultimo complemento suae cognitionis, quod quidem in cognitione primae Causae haberi potest. Haec vero cognitio primae Causae, secundum quod est naturaliter possibilis, non intuitiva est, sed per conceptus haustos a rebus creatis.

Instabis. Quidquid humanam mentem perficit, est supra mentem. Atqui solus Deus est supra mentem.

Respondeo. *Dist. mai.* Quidquid humanam mentem perficit, est supra mentem simpliciter, *neg.*; secundum quid, ut quilibet actus respectu suae potentiae receptivae, *conc.* *Contradist. min.*

Actus ad potentiam comparatus est ea nobilior [*Pr. Ph.* 575]. Nihil vero prohibet, quominus res aliqua sit in potentia quantum ad aliquid, et in actu quantum ad alia. Tunc itaque erit quid imperfectius comparate ad id respectu cuius est in potentia, sed non absolute et simpliciter. Id porro accidit in re praesenti. Apposite S. Thomas. * Etiam veritas creata quae est in intellectu nostro, est maior anima, non simpliciter sed secundum quid, in quantum est perfectio eius, sicut etiam scientia posset dici maior anima. (*Somma th.* 1. p. q. 16. a. 6. ad 1.) Inferius autem declarabitur, quo pacto mens nostra et res sensibiles vicissim comparantur invicem per modum actus seu perficientis ad potentiam seu perfectibilem.

Instabis iterum. Eo ipso quod Deus solus finaliter perficit mentem, oportet sit primum et per se cognitum. Nam finis est primus in intentione. Atqui nihil volitum quin praecognitum. Ergo quod primo cognoscendum occurrit est Deus.

Respondeo. *Neg. min. subsumptam.* Ad probationem,

dist. mai. Si sermo sit de fine quem ipsum agens sibi praestituit, *conc.*; si sermo sit de fine qui est naturaliter ei praestitutus, *subdist.*; est primus in intentione ipsius naturae seu potius naturae Auctoris, *conc.*; est primus in intentione ipsius agentis cui talis finis est praestitutus, *neg. Contradist. minori, neg. conseq.*, vel etiam *dist.* Ergo quod primo cognoscendum occurrit est Deus secundum generalem rationem entis vel boni quae hausta sit a rebus creatis, *conc.*; secundum propriam Dei rationem immediate apprehensi, *neg.*

Solutio integra est D. Thomae. * Quamvis Deus sit ultimus finis in consecutione, et primum in intentione appetitus naturalis, non tamen oportet quod sit primum in intentione mentis humanae, quae ordinatur in finem, sed in cognitione ordinantis, sicut et in aliis quae naturali appetitu tendunt in finem suum. Cognoscitur tamen a principio et intenditur in quadam generalitate, prout mens appetit se bene esse et se bene vivere, quod tunc solum est ei cum Deum habet. (Super Boët. *De Trinitate*, q. 1. a. 3. ad 4.)

Obiectio II. — Ut res mente apprehendatur immediate, duo requiruntur et sufficiunt, nimirum, ut ipsa res secundum se sit intelligibilis, et praeterea ut sit immediate praesens menti. Atqui utrumque locum habet in Deo respectu humanae mentis.

Respondeo. *Dist. 1. part. mai.* Comparate ad mentem intelligentis, *conc.*; absolute tantum, *neg. Dist. 2. part. mai.* Praesentia quaecumque, *neg.*; praesentia intentionali quam vindicat sibi obiectum qua tale respectu mentis illud intendit, *conc. Contradist. pariter min.*

Etiam in substantia animae nostrae verificatur quod secundum se et absolute sit aliquid intelligibile, cum sit immaterialis, et praeterea sit maxime praesens nostrae menti ut substantia suae facultati. Attamen experimur manifeste, nos minime devenire in cognitionem propriae quidditatis nostrae animae nisi per discursum valde subtilem, eumque ductum a posteriori, seu ex operationibus quas elicimus. Requiritur igitur ad immediatam apprehensionem

alicuius obiecti, ut non solum sit absolute intelligibile, sed sit praeterea per se proportionatum virtuti intellectivae intuitivae: requiritur etiam non qualiscumque praesentia seu unio, sed *representativa*, qua scilicet res in cognoscente vitaliter quasi reproducatur eiusque vitam vivere incipiat. Atqui neutrum habetur in Deo respectu naturalis cognitionis non solum nostrae, sed cuiusque creaturae, ut probatum est. Ad rem Suarez. * Quod etiam aptissime declarat sensibile exemplum, quo usus est Aristoteles, cum dixit, sicut se habet oculus noctuae ad lumen solis, ita comparari intellectum nostrum ad manifestissima naturae. Addereque nos possumus, infinita inaequalitate seu disproportionatione distare magis quemlibet intellectum creatum ab increato lumine divino, quam oculum noctuae a lumine solis. Si ergo non solum oculus noctuae, verum etiam multi alii perfectiores non possunt solem in se directe intueri, quid mirum est, quod Deus sit invisibilis omni intellectui creato, propria et naturali virtute operanti? (Metaph. D. 30. sect. 11. n. 14.)

Instabis. Communi Doctorum consensu, immo communi etiam loquendi more, distinguimus rationem in superiorem et inferiorem. Atqui, iuxta celebre Augustini pronuntiatum (12. Trin. 7.), *ratio superior est quae intendit aeternis conspiciendis aut consulendis.*

Respondeo. *Conc. mai. Dist. min.* Et hoc fieri oportet secundum modum proprium cognitionis huius vitae, *conc.*; et hoc fieri oportet secundum modum proprium cognitionis beatificae, *neg.* * Dicendum, ait S. Thomas, quod superioris rationis obiectum, secundum conditionem naturae, non est divina essentia, sed rationes quaedam a Deo in mentem influentes, et a creaturis acceptae, quibus ad aeterna conspicienda perficimur. (Qq. Disp. Ver., q. 18. a. 1. ad 9.) Et alibi. * Haec duo, scilicet temporalia et aeterna, comparantur ad cognitionem nostram hoc modo, quod unum eorum est medium ad cognoscendum alterum. Nam secundum viam inventionis per res temporales in cognitionem devenimus aeternorum, secundum illud Apostoli ad Rom. I. 20. *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt*

intellecta conspiciuntur. In via vero iudicii, per aeterna iam cognita de temporalibus iudicamus, et secundum rationes aeternorum temporalia disponimus. (Summa th. 1. p. q. 79. a. 9.)

Obiectio III. — Ratio obiectiva quam mente primo apprehendimus, est ipsa ratio Entis, ut sic. Atqui haec ratio non potest esse nisi Deus ipse. Nam creaturae omnes in tantum sunt, in quantum rationem Entis, ut sic, participant quidem, sed non exhauriunt. Atqui ratio istiusmodi, quae nimirum sic participatur ut remaneat adhuc inexhausta, est ipsissima ratio Entis imparicipati sive Dei.

Respondeo. *Conc. mai. Neg. min.* Ad probationem *dist. mai.* Si spectetur extensio huius obiectivae rationis, *conc.*; si spectetur eius comprehensio, *neg. Contradist. min.*

Quoniam haec obiectio subtilis est, oportet diligenter eam considerare. Verum est quod in obiectione dicitur, vel supponitur, *participatum* scilicet, prout huiusmodi, praesefere notionem cuiusdam quasi *excedentis id a quo participari dicitur*; exhibet quippe rationem cuiusdam quod quasi ex parte et non totaliter habeatur. Iam age, ratio obiectiva entis quae cadit in prima apprehensione mentis nostrae, dupliciter spectari potest, nimirum in sua extensione et in sua comprehensione. Illa est maxima, ut quae sub se continet quidquid non est nihilum; haec contra est minima; non enim aliud repraesentat nisi id secundum quod omnia assimilantur invicem in eo quod sunt, quod profecto est minimum quod de re qualibet concepti potest. Cum itaque extensio et comprehensio huius notionis inverso modo se habeant, inverso etiam modo *ratio participati* ei convenire dicenda est. Nimirum si consideretur eius extensio, verum est, eam ex parte tantum reperiri in re qualibet de qua affirmari potest: quod si comprehensio potius inspicatur, ea non ex parte affirmatur, sed potius est quodammodo pars quae de re affirmatur: siquidem, ut diximus, est minimum praedicatum quod rei cuique tribui potest. Apposite rursus Angelicus, * Ens quod est primum per communitatem, cum sit idem per essentialiam rei cuiuslibet, nullius proportionem excedit, et ideo in cogni-

tione cuiuslibet rei ipsum cognoscitur: sed ens quod est primum causalitate, excedit impropotionaliter omnes alias res; unde per nullius alterius cognitionem sufficienter cognosci potest. (Qq. Disp. Ver., q. 10. a. 11. ad 10.) Ex quo tandem apparet, unde oriatur tota fallacia recitatae obiectionis; confunditur scilicet *ratio obiectiva analogica entis communitissimi cum ratione propria entis absolute perfecti.*

Instabis Commune proloquium est, creaturas dici entia, non simpliciter, sed secundum quid. Atqui hoc perinde est ac obiectivam rationem entis, in sua comprehensione spectatam, non totaliter, sed diminute inveniri in creatura.

Respondeo. *Conc. mai. Dist. min.* Quatenus obiectiva ratio entis in creaturis minime reperitur secundum perfectum essendi modum ad quem logice est in potentia, *conc.*; quatenus in creaturis ex parte tantum inveniatur secundum id quod actu repraesentatur seu continetur in hac notione, *neg.*

Alio et alio modo notio superior et communis, praesertim analogica, se habet ad sua inferiora, ac notio rei perfectae respectu eorum quae imperfecte ei assimilantur. Quandoquidem primum dicit indeterminationem, et, ut ita dicam, inexauribilitatem potentiae passivae, quae ad imperfectionem pertinet; alterum vero dicit plenitudinem et superexcedentiam actus, quod profecto spectat ad perfectionem. Sic itaque notio analogica entis est notio maxime potentialis, atque adeo sicut est in potentia ad ceteras differentias, sic etiam est in potentia (*repraesentativa* scilicet) ad primariam illam differentiam qua dividitur in ens infinitum et finitum. Iam vero hoc sensu accipi debet proloquium quod obicitur. Cum enim in creaturis contrahatur per modum essendi repugnantem proprio modo essendi entis infiniti, eo ipso, quatenus est ita contracta, respuit perfectionem absolutam propriam entis infiniti. Contra ens infinitum dicitur a creaturis participari, quia est actus absolutus et perfectissimus, cuius perfectionem creaturae omnes sic repraesentant, ut a perfecta eiusdem repraesentatione distent infinito. Refert proinde notionem nullo modo potentialem sed omni modo actualissimam.

Confer quae in Philosophia Prima diximus [th. I, XIX.].

Instabis rursus. Doctor Seraphicus in Opusculo *De itinerario mentis in Deum*, c. 5., cum doceat modum quo ex idea Entis possimus assurgere ad speculationem unitatis et essentialium Dei, expresse asserit, id quod primo menti obversatur in ea notione concipienda, non esse ens creatum vel analogum, sed *Esse purum* seu *divinum* (1). Plura his gemina occurrunt apud Augustinum. Sic ex gr. (12. *Confess.* 25.): *Si ambo videmus*, ait, *verum esse quod dicis, et ambo videmus verum esse quod dico: ubi, quaeso, id*

(1) En verba S. Doctoris. * Volens igitur contemplari Dei invisibilia quoad essentiae unitatem, primo defigat aspectum in ipsum esse: et videat ipsum esse adeo in se certissimum, quod non potest cogitari non esse: quia ipsum est purissimum, non occurrit nisi in plena fuga non esse, sicut et nihil in plena fuga esse. Sicut igitur omnino nihil nihil habet de esse, nec de eius conditionibus; sic e contra, ipsum esse nihil habet de non esse, nec actu, nec potentia, nec secundum veritatem rei, nec secundum aestimationem nostram. Cum autem non esse privatio sit essendi, non cadit in intellectum, nisi per esse: esse autem non cadit per aliud, quia omne quod intelligitur, aut intelligitur ut non ens, aut ut ens in potentia, aut ut ens in actu. Si igitur non ens non potest intelligi nisi per ens, et ens in potentia non nisi per ens in actu, et esse nominal ipsum purum actum entis: esse igitur est quod primo cadit in intellectum et illud esse est quod est purus actus. Sed hoc non est esse particulare, quod est esse creatum, quia permixtum est cum potentia; nec esse analogum, quia minime habet de actu, eo quod minime est. *Restat igitur, quod illud esse est esse divinum.* Mira igitur est caecitas intellectus, qui non considerat illud quod primum videt et sine quo nihil potest cognoscere. Sed sicuti oculus intentus in varias colorum differentias, lucem per quam videt cetera, non videt, et si videt, non tamen advertit: sic oculus mentis nostrae intentus in ista entia particularia et universalia, ipsum esse extra omne genus, licet primo occurrat menti et per ipsum alia, tamen non advertit. Unde verissime apparet, quod sicut oculus vespertilionis se habet ad lucem, ita se habet oculus mentis nostrae ad manifestissima naturae: quia assuetus ad tenebras entium et phantasmata sensibilium, cum ipsam lucem summi esse intuetur, videtur sibi nihil videre; non intelligens quod ipsa caligo summa est mentis nostrae illuminatio, sicut quando videt oculus puram lucem, videtur sibi nihil videre. * Haec ille.

videmus? Non ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa, quae supra mentes nostras est, incommutabili Veritate.

Mens Seraphici Doctoris patet ex iis quae docet cum hanc questionem ex professo et scholastico more pertractat. Hanc enim perceptionem Dei immediatam quam Ontologi vellent obtrudere, S. Doctor negat adesse in viatoribus (1. *Dist.* 3. p. 1. q. 1, 2, 3.): idipsum docet sive quoad Angelos (2. *Dist.* 3. p. 2. a. 2. q. 2.); sive quoad Protoparentes in statu innocentiae (*Dist.* 23. a. 2. q. 3.) (1). Ut autem probe intelligatur quod ex ascetico Opusculo cit. obicitur, valde facit quod docet Suarez his verbis. * Ipsum ens, ait, quantumvis abstracte et confuse conceptum, ex vi sua postulat hunc ordinem, ut primo, per se, et quasi complete competat Deo, et per illum descendat ad reliqua, quibus non insit nisi cum habitu dine et dependentia Deum. * (*Metaph.* D. 28. sect. 3. n. 17.) Id ipsum notavit S. Thomas loquens de nominibus quae proprie de Deo et de creaturis dicuntur. * Quantum ad rem significatam, ait, per nomen, per prius dicuntur de Deo, quam de creaturis, quia a Deo huiusmodi perfectiones in creaturis dimanant. * (*Summa th.* 1. p. q. 13. a. 6.) Hinc illud efficitur, ut si ratio obiectiva entis in se et secundum se consideretur, quantum ad illud scilicet quod repraesentat, hunc ordinem exposcit in suis inferioribus,

(1) In hoc postremo testimonio duae opiniones absolute reprobantur. Prima est qua intuitus immediatus Beatis denegabatur, et hanc opinionem S. Doctor absolute vocat *haereticam*. Altera est qua dicebatur, quod Deus in triplici statu innocentiae, vias, et patriae in seipso ridere habet a purgatis mentibus, ita tamen ut differentia sit in gradu, quod clarior et perfectior Deus videbitur in statu gloriae et minus perfecte in statu innocentiae, et minime in statu naturae lapsae. Porro hanc secundam opinionem Seraphicus affirmat dictis Sanctorum non consonare, et Doctores communiter in hoc concordare, quod quantumcumque mens in contemplatione profecerit, non pervenit ad contentum Dei. Unde, addit, *si quae auctoritates illud dicere videntur, quod Deus in praesenti ab homine cernitur et videtur, non sunt intelligendae quod videtur in sua essentia, sed quod in aliquo effectu inferiori cognoscatur.*

ut primo veritatem habeat in ipso *Esse per essentiam*, quod est Deus, ac secundo et cum respectu ad primum in *ente participato*. Hoc modo optime intelligitur quod ait Bonaventura. Brevi: in obiecto testimonio sermo est de *obiecto primo terminante*, non vero de *obiecto primo movente*, scilicet de eo ad quod notio entis ex vi sua primo refertur, non vero de eo unde talis notio primo hauritur a mente humana.

Quod attinet vero ad testimonia B. Augustini quae in contrarium recitari consueverunt, observare oportet, cum Deus dicitur esse veritas vel lux in qua cetera a mente nostra perspicuntur, particulam in sensu duplici accipi posse. Primo ita ut significet *influxum causalem*, pro eo quantum Deus est primum et proprium principium tum efficiens tum exemplare luminis sive naturalis sive gratuiti, quo pollet humana mens ad intelligendum. Hoc sensu Deus procul dubio est eiusmodi principium, ut eleganter exponit S. Thomas (Super Boëth. *De Trinitate*, q. 1. a. 3. ad 1.). Potest praeterea haec particula accipi, et quandoque revera accipitur a B. Augustino *obiective*, sed eo modo quo hanc rem declaravit Scotus (1. *Dist.* 3, q. 4. n. 23.). Advertit Doctor subtilis, mentem nostram in comparanda sibi scientia duplex quasi iter tenere, *progressus* scilicet et *regressus*. Initio scientia ex effectu ad causam primam, a veritatibus participatis ad imparticipatam progreditur, sed in complemento regreditur a causa ad effectum, a suprema veritate ad veritates participatas cuiuslibet ordinis, ut ipsorum effectuum et veritatum quas primo novit, profundiorum et perfectam cognitionem adquirat, demonstratione scilicet *regressiva* et *circulari*. Vide quae alibi diximus [*Pr. Ph.* 384. seqq.]. * Et isto ultimo modo, ait, potest (etiam) concedi quod cognoscuntur veritates sincere in veritate aeterna *sicut in obiecto remoto cognito*.... et ideo cognitio omnium, tam speculabilem quam practicabilem, per principia sumpta a luce aeterna, ut cognita, est perfectior et purior.... et eminentior alia quacumque. (*loc. cit.*) Illud etiam addi potest, B. Augustinum minus quam ceteri Patres de sensibilitatis influxu

in intellectualem cognitionem fuisse locutum, et ad Deum potius confugisse ut cognitionem nostram explicaret; tum quia cum Academicis et Materialistis maxime concertabat; tum quia doctrinas Platoniorum quibus imbutus fuerat, quoad eius fieri poterat, vindicare satagebat, ut notat Augustinus (*Summa th.* 1. p. q. 84. a. 5.), et paulo inferius declarabimus.

273. **Alterum caput obiectorum.** — Arguitur secundo, ut diximus, notando incommoda quae enascuntur, si initium intellectualium notionum humanae mentis constituitur in contemplatione creaturarum, sensilium praesertim.

Obiectio I. — Ut sua constet veritas conceptionibus nostrae mentis, plane requiritur ut ordini ontologico rerum sint conformes. Atqui ista conformitas minime existeret, si creaturae priores essent in conceptione mentis nostrae quam Deus.

Respondeo. *Dist. mai.* Ita nimirum, ut dicant esse quod est, vel non esse quod non est, *conc.*; quatenus modus rei cognitae in suo esse sit sicut modus cognoscendi rem, *neg. Contradist. minorem.*

Ut a'ibi non semel notavimus [*Pr. Ph.* 247, 356, 387], nullo pacto requiritur ad veritatem humanae cognitionis ut idem sit modus rei in suo esse et modus cognoscendi rem, ac innumeri et inter se contrarii errores enati fuere ac necessario nasci debent, si istiusmodi postulatum semel adstrueretur. Licet itaque in ordine ontologico prius sit Deus quam creaturae, nihil vetat quominus prius cognoscamus creaturas quam Deum, modo nec creaturis tribuamus quod est Dei proprium, nec vicissim, quod certe falsitatem induceret in nostram cognitionem.

Instabis, Creaturae sunt essentialiter a Deo dependentes. Atqui notio rei dependens, utpote relativa, praesumit notionem rei a qua dependet.

Respondeo. *Conc. mai. Dist. min.* Si res dependens non adhuc agnosceatur reduplicative ut dependens, *neg.*; si sub hac formali ratione agnosceatur, *subdist.*; praesumit notionem rei a qua dependet, quatenus non possit una haberi quin altera simul habeatur, *conc.*; quatenus prius

cognosci debet res a qua dependet quam ipsa res quae dependet, *neg.*

Duplex cognitio de re aliqua haberi potest. Altera est absoluta, cum scilicet non attenditur ad id ad quod res cogitata refertur: altera vero respectiva, si scilicet eiusmodi ordo perspicitur. Sic, in re praesenti, creatura vel considerari potest quoad praedicata ipsius absoluta, puta rationem substantiae, entis, vel aliud eiusmodi; vel sub formali ratione creaturae. In primo modo considerandi nihil vetat, quominus creatura cognoscatur, quin de Deo cogitetur, ut patet ex terminis: agitur enim de conceptu quodam absoluto, non respectivo. In altera vero consideratione, necesse est quidem conceptus Dei habeatur, sed hoc non antevertit sed simul cum conceptu sibi correlativo in mente efflorescit: relativa quippe sunt simul cognitione. Unde vero et quomodo id efficiatur, suo loco commodius declarabimus.

Instabis iterum. Quaecumque notio ex creaturis hausta, quo demum cumque modo eius genesis explicetur, non potest non esse nisi notio rei creatae. Atqui manifestum est, per notionem rei creatae minime Deum cognosci.

Respondeo. *Neg. mai.* Ut in Logica agentes de universalibus late declaravimus, id quod notione quacumque universali exhibetur, veraciter et per identitatem inest rebus omnibus de quibus praedicatur, tametsi ipse modus universalitatis quo concipitur non nisi fundamentaliter in iisdem invenitur [Pr. Ph. 356. seqq.]. Id propterea verum est etiam de notionibus communissimis, puta entis, substantiae, et similibus; item de notionibus quae, etsi non sunt transcendentibus, de se praescindunt a ratione participati vel imparticipati, ut est ex. gr. notio sapientiae, libertatis, et aliae quae Deo et creaturis sunt communes. Quod autem notiones id genus minime sint univocae, hoc non prohibet, quominus non metaphorica sed propria affirmatione tum de Deo tum de creaturis verificentur: sunt quippe analogae per intrinsecam denominationem extremorum, ut etiam in Logica declaravimus [34, 35]. Ex

hoc discursu manifesta est falsitas propositionis quae in maiori obicitur. Cum enim haec notiones veritatem habeant etiam in rebus creatis, nihil prohibet quominus abstractione mentis absolvantur a modo proprio quem in iis sortiuntur, ac menti exhibeantur in sua analogae communitate quam habent, et secundum quam verificantur, tametsi eminentiori modo, etiam in Deo. Haec autem cognitio evadit ulterius *exclusive propria* in representando solius Dei, adiecta aliqua negatione, puta limitis, potentialitatis, ut suo loco declarabitur.

Obiectio II. — Cognitio mediata quae in nostra doctrina substituitur immediatae apprehensioni veritatum intelligibilium, ad scepticismum recta adducit. Tunc siquidem non res ipsas contempleremur, sed subiectivas animae modificationes seu imagines, ac propterea semper dubitare possemus, utrum nec ne rebus ipsis respondeant (1).

Respondeo. *Neg. assumptum eiusque probationem.* Hoc argumentum cui systema maxime superstruitur, ut initio diximus, mirum est quantum confusionem conceptuum contineat. Adverte igitur cum S. Thoma. "In visione intellectiva, ait, triplex medium contingit esse. Unum *sub quo* intellectus videt, quod disponit eum ad videndum: et hoc est in nobis lumen intellectus agentis, quod se habet ad intellectum possibilem nostrum, sicut lumen solis ad oculum. Aliud medium est *quo* videt; hoc est species intelligibilis, quae intellectum possibilem determinat, et habet se ad intellectum possibilem sicut species lapidis ad oculum. Tertium medium est *in quo* aliquid videtur: et hoc est res aliqua per quam in cognitionem alterius devenimus, sicut in effectu videmus causam, et in uno similibus vel contrariorum videtur aliud: et hoc medium se habet ad

(1) * Si nos idées n'étaient que nos perceptions, si nos modalités étaient représentatives, comment saurions-nous que les choses répondent à nos idées? , MALLEBRANCHE (*Recherche de la vérité*, liv. IV, ch. 11.).

intellectum, sicut speculum ad visum corporalem, in quo oculus aliquam rem videt. *Primum ergo et secundum medium non faciunt mediatam visionem: immediate enim dicitur aliquis lapidem videre, quamvis eum per speciem eius in oculo receptam et per lumen videat; quia visus non fertur in haec media tanquam in visibilia, sed per haec media fertur in unum visibile quod est extra oculum.* Sed tertium medium facit visionem mediatam. (*Quolib. 7. a. 1.*) Ex hoc luculenti testimonio infertur primo, falsum esse omnino quod Ontologi, plerique saltem, postulant, ut certitudo constet ac obiectivitas nostrarum cognitionum, eas scilicet fieri oportere per hoc quod ipso increato lumine divinitatis mens nostra perfundatur. Id enim, ut docent Theologi cum S. Thoma (*Summa th. 1. p. q. 12. a. 5.*), nec requiritur pro ipsa visione Dei beatifica, lametsi ea Deus per essentiam immediatissime ac facialiter videatur. Infertur secundo, minime etiam pro immediata alicuius obiecti perceptione postulari, ut nulla intercedat species intentionalis quae sit formale principium actus perceptionis: quandoquidem haec se habet ut quo, non vero ut quod videtur, sicut ante declaravimus [174], et paulo inferius pleniori in luce collocabimus. Infertur denique, cognitionem ipsam mediatam, de qua S. Thomas loco citato, esse veraciter obiectivam et certam respectu rei quae in alia dici videtur: nec certe Ontologi de hac re dubitare possunt, nisi ratiocinationem omnem de medio pellant sive a posteriori sive etiam a priori. Per illam enim causa non in se sed in effectu cognoscitur, per hanc vero e converso.

Obiectio III. — Prima principia intellectualia notionem exhibent plane necessariam et universalem. Atqui res creatae sunt omnino contingentes et particulares.

Respondeo I. Si quis hanc obiectionem nimis emungere velit, pantheistica labe inficeretur. Nam etiam Deus est res maxime et essentialiter singularis. Quare si prout in se est apprehenderetur, nullus conceptus universalis (*in essendo*) propterea haberetur. Quare vel ipsa existentia eiusmodi conceptuum universalium deneganda foret, vel, si ea concedatur, Deus evaderet ens quoddam commune

quod cum rebus omnibus identificaretur. Atqui primum immediato conscientiae testimonio reluctatur: alterum vero ad delirium pertinet pantheismi transcendentalis.

Respondeo II. *Conc. mai. Dist. 1. part. min.* Res creatae sunt contingentes, si in se ipsae, et quoad esse considerentur, *conc.*; si spectentur vel in fundamento propriae possibilitatis, vel in connexione logica praedicatorum essentialium, *neg. Dist. pariter 2. part. min.* Res creatae sunt particulares, si in sua materiali concrectione spectantur, *conc.*; si inspiciantur ut a notis individuantibus praecisionem mentis absolvuntur, *neg.*

Solutio, quatenus universalitatem nostrarum conceptionum respicit, paulo ante declarata fuit in obiect. I. Quod vero spectat necessitatem et immutabilitatem primorum principiorum, ea dupliciter considerari potest, *formaliter* scilicet, et *fundamentaliter*. Si primo modo spectetur, nonnisi per deliramentum pantheisticum identificari potest cum Deo. Necessitas enim quae viget in hoc principio ex gr. *Omnis effectus exposcit causam*, formaliter si spectetur, alia non est ab ipsa necessaria intelligibilitate obiectiva sui ontologica veritate ipsius effectus prout est effectus. Ontologica autem veritas, utpote proprietas transcendentalis, reipsa non differt ab ipsa re quae sic vera dicitur. Si itaque identificaretur cum Deo, ipse effectus atque adeo creaturae omnes cum Deo identificarentur. Praeterea, ut optime notavit S. Thomas: "Nihil est adeo contingens, quin in se aliquid necessarium habeat. Sicut hoc ipsum, quod est, *Socratem currere*, in se quidem contingens est; sed habitu cursus ad motum est necessaria: necessarium enim est Socratem moveri, si currit." (*Summa th. 1. p. q. 86. a. 3.*) Quod si fundamentum ultimum consideretur, cui ut radici innititur haec necessitas et immutabilitas, certum est, eam non inveniri nisi in ipsa divina essentia. Inde vero minime colligi potest, Deum obtutui humanae mentis immediate obversari, sed haec duo tantum inde inferuntur. Primo: nullam fore necessitatem et immutabilitatem nostrorum conceptuum in absurda hypotesi Dei non existentis. Secundo: eum proinde qui eiusmodi